

ARTICULUS IV.

Omnis movens prius naturā movet quam mobile sit motum, sed Deus est movens & causa secundæ sunt ab eo mobiles; ergo prius natura eas movet quam moveantur: atqui Deus non movet eas ut distans ab illis, cum rebus omnibus sit intimè præsens, & in omni operante operetur quasi interius existens, ergo sic movet ut illas tangat ac in eas influat. Minor jam satis probata est. Major est Philosophi libro 4. Metaphys. text. 23. dicentis quod *movens natura prius est moto*: & probatur partim ex eo quod supra attulimus ex libro 3. contra Gent. cap. 149. *Motio moventis præcedit motum mobilis ratione & causa*. Partim ex eo quod 1. parte quæstione 82. articulo 3. ad 2. *Motivum dicitur esse prius mobili & activum prius passivo*: partim etiam hoc argumento. Movens dicitur quod movet, simul operans quod simul operatur, simul agens quod simul agit, ergo primum agens est quod primo agit & primum movens quod primo movet: quæ consequentia in locis Dialecticis manifestè fundatur. Si dicas Deum esse primum movens quatenus ab initio virtutem dedit: contra faciunt quæ supra diximus, & insuper hoc argumentum: Hujus actus individui qui jam sit cum ante non fieret, Deus est primum agens, & respectu causæ secundæ primum movens, cum tamen non esset hujus actus agens nec movens (ideoque nec primo agens aut primo movens) quando actus non fiebat: ergo jam quando sit primo movet ac 1. agit aliter quam dando virtutem. Quare enim censebitur nunc primum agens hujus actus potius quàm ante nisi quia nunc primo agit effectum quem ante non agebat? Præterea confirmatur hoc idem ex 1.2. quæstione 113. articulo 6. & 8. ubi S. Thomas clarissimè docet omne movens esse prius mobili, Nam articulo 6. sic habet. *In quolibet motu quo aliquid ab altero movetur tria requiruntur. Primum quidem motus ipsius moventis. Secundo motus mobilis. Tertio consummatio moventis, sive pervenio ad finem*. Art. autem 8. sic, *In quo est prius libet motu naturali, primum est motus ipsius moventis. Secundum autem est dispositio materiae sive motus ipsius mobilis, ultimum vera est finis vel terminus motus ad quem terminatur motus moventis*. Quid clarius? Nunquid apertè dicit motum moventis esse priorem motu mobilis? Sed & hoc aliunde probatur. Omnis causa est naturā prior suo effectui: omne movens respectu mobilis est causa, ergo omne movens respectu mobilis est prius natura, non dico prius dignitate, ne respondeatur esse prius, quia dignius, qui est quartus modus prioris: sed dico prius natura seu causalitate juxta quintum modum prioris. Hinc est quod B. Tho. dicto art. 8. q. 113. probet motum liberi arbitrij in Deū præcedere motum liberi arbitrij in peccatum, eo quod sit causa & ratio ejus. Non intelligimus autem hic prius & posterius natura eo modo quasi sint assignanda duo naturæ instantia, in quorum uno movens sit prius, & in altero mobile sit posterius: sed intelligimus prius & posterius natura seu causalitate eo modo quo causa ut causa est natura prior suo effectui, etiamsi eodem unico instanti causa sit ac etiam effectus, sicut etiam contingit in illis quæ sunt in instanti. Sic elevatio solis est prior die, jugulatio prior morte, infusio animæ rationalis prior animatione, & ut exemplo Aristotelis utamur, res est natura prior oratione quæ à re denominatur, & est vera, eo quod res sit

A causa veritatis orationis, non contra. Et hæc naturæ prioritas invenitur inter causas plures simul tempore causantes, etiam respectu ejusdem effectus, quando una est alteri causa cur effectum illum producat. Neque enim verum est quod à quibusdam dicitur, prioritatem hanc peti debere ex effectu includente distinctionem entitatum, sed peti debet ex ipsis causis quarum una est alteri causa operandi. Deus enim non solum est prior sole illuminante, quia illuminatio sit entitas distincta à sole, sed Deus ut per solem producens illuminationem prius natura illam producit quam sol, quia est soli causa cur illuminet ac illuminationem producat. Similiter Deus quamlibet creaturam movens ad operationem, prius natura movet quam ipsa moveatur, quia Deus est illi causa movendi. Nam juxta D. Thom. lib. 1. contra Gent. cap. 13. *In moventibus & motis ordinatis quorum unum per ordinem movetur ab alio, primum est causa movendi omnibus alijs*. Ex quibus sic ulterius argumentor, à quo removetur pars definitionis removetur definitum, sed pars definitionis simul naturā, removetur à Deo & causis secundis operantibus: ergo removetur & definitum; ideoque non simul natura operatur. Minor probatur, quia in definitione simul natura Philosophus addit hanc partem, & neutrum est alteri causa cur sit cap. 17. lib. categor. Atqui Deus est causis secundis operantibus causa cur sint operantes: ergo pars illa non eis convenit. Minor jam probata est ex B. Thom. & est manifesta si cogitemus Deum omnium rerum esse causam, non solum essendi sed & agendi; & si repetamus ea quibus docuimus Deum movere, applicare, excitare, impellere, & determinare causam secundam. Hæc enim esse non possunt nisi Deus compareretur ad omnia moventia sicut movens ad motum, & sicut causa ad effectum. *Objectionis* tamen aliqui: Licet Deus dici possit causa, quod causa secunda agit, non potest tamen universè dici causa cur agit, sic enim liceret omnes actus etiam peccati in Deum ut causam refundere, dicendo ego disputo quia Deus vult & ab æterno efficaciter decrevit; tu curris, quia Deus vult: ille odit, blasphematur, &c. quia Deus vult: ideoque potius dicendum est, quod Deus agit quia voluntas agit quam contra. *Respondeo* esse absurdissimum quod Deus aliquid agit quia voluntas creata agit, præsertim si de salutaribus operibus sermo sit, de quibus loquitur Bellarm. hoc asserens lib. 4. de gratia & lib. arbitrio cap. 15. Unde & recentiores quidam ejusdem cum eo instituti solum loquuntur de operibus malis & indifferentibus, etiam in hoc à suo doctore dissentientes. Oportet enim scire quod voluntas Dei nullam causam habeat, ut docet D. Tho. 1. p. qu. 19. art. 5. ipsa autem sit omnium rerum causa prima. Unde B. Thom. ex Aug. sic loquitur lib. 3. contra Gent. cap. 97. *Non nisi Deus voluntas est causa prima sanctorum & agnoscendum, præmiorum atque peccatorum, gratiarum atque retributionum*. Et 1. p. quæst. 19. art. 5. cum similem huic objectionem sibi formasset argumento secundo dicitur: *Si voluntatis ejus nulla sit causa, non oportebit in omnibus rebus naturalibus aliam querere nisi solam voluntatem divinam*, quia scilicet licebit omnes effectus in eam ut causam refundere: non respondet negando omnia reduci in Deum ut causam; sed, cum velis Deus, inquit, effectus sic esse ut ex causis certis proveniant ad hoc quod

Non ideo Deus agit quia voluntas agit.